

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

# BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0628

Sabato 03.11.2012

## LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL 125° ANNIVERSARIO DELL'ARCIDIOCESI DI DHAKA (BANGLADESH) E DEL IV CENTENARIO DELL'EVANGELIZZAZIONE DEL TERRITORIO BENGALESE (9-10 NOVEMBRE 2012)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL 125° ANNIVERSARIO DELL'ARCIDIOCESI DI DHAKA (BANGLADESH) E DEL IV CENTENARIO DELL'EVANGELIZZAZIONE DEL TERRITORIO BENGALESE (9-10 NOVEMBRE 2012)

In data 1° settembre 2012 è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Cormac Murphy-O'Connor, Arcivescovo emerito di Westminster, ad Inviato Speciale del Santo Padre alle celebrazioni del 125° anniversario dell'arcidiocesi di Dhaka (Bangladesh) e del IV centenario dell'evangelizzazione del territorio bengalese, previste nei giorni 9 e 10 novembre corrente.

Il Cardinale Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici del luogo: Rev. Don Abel B. Rozario e Rev. P. Adam Pereira, C.S.C.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Cormac Murphy-O'Connor:

### • LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro  
CORMAC S.R.E. Cardinali MURPHY-O'CONNOR,  
Archiepiscopo Metropolitae emerito Vestmonasteriensis

Quemadmodum quattuor saeculorum decursu non sine fructu fides catholica per terram Bangladesanam est disseminata, haud sine causa videtur Nobis commemoranda esse viginti et quinque lustra ex quo Decessor Noster, Leo PP. XIII, fel. rec., dioecesim Dhakensem condidit. Enimvero Christus, qui opus redemptionis totius humani generis perfecit, nec minus incolas illius terrae ad viam salutis ingrediendam vocavit ut Eius veritatem agnoscerent Ipsique sancte et fideliter servirent. Qua de re magnopere iuvat dilecto gregi Dhakensi omnibusque in Bangladesia credentibus in hoc felici eventu gaudere, qui sollemniter celebrabitur peculiari cum populi concursu diebus IX et X proximi mensis Novembris.

Quam ob rem libenti animo accepimus petitionem Excellentissimi et Reverendissimi Domini Patricii D'Rozario,

C.S.C., Archiepiscopi Metropolitae Dhakensis, qui obsecraverit Nos ut aliquem Praesulem renuntiarem personam Nostram haec inter sollemnia gesturum. Piae huic postulationi Nos adnuere volentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, decurrimus, qui recentioribus annis variis modis Nobis astitisti quique dignus et aptus videris ad id munus fructuose explendum. Te igitur hisce Litteris **Missum Extraordinarium Nostrum** nominamus ad celebrationem CXXV anniversariae memoriae creationis dioecesis Dhakensis necnon CD annorum praesentiae fidei christianae eodem in territorio. Illic sane loqueris de suavissimo amoris vinculo quo artissime cum eis devincimur et spiritali caritatis affectu quo in hoc fausto eventu laetamur. Cum vero *Annus fidei* in Area ante Petrianam Basilicam patente nuperrime a Nobis sit inchoatus, invitabis quoque Bangladesanos christifideles ad catholicam fidem profitendam qua liberrime Deo committunt se necnon praecepto amoris ab Eius dilectissimo Filio dato respondent. Rogamus Te etiam ut Nostram omnibus ibi congregatis salutationem referas, Archiepiscopo praesertim Dhakensi, ceterisque sacris Pastoribus, presbyteris, religiosis viris ac mulieribus necnon christifidelibus laicis. Verba Nostrae benevolentiae etiam ad Auctoritates civiles ad omnesque participantes extendas volumus.

Nos denique Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitamur, Tibi Benedictionem Apostolicam libentes impertientes, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationum participibus rite transmittas cupimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XII mensis Octobris, anno MMXII, Pontificatus Nostri octavo.

BENEDICTUS PP XVI

[01435-07.01] [Testo originale: Latino]

---